



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens Psalmos à 51. ad 75

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, 1762**

**VD18 15558428-001**

Psalmus LI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)



( 3 )  
PSALMUS LI.

**T**itulus : *In finem intellectus David, cum venit Doeg Idumæus, & nuntiavit Sauli . Venit David in domum Achimelech.*

*Titulus Psalmi notissimus est ex historiâ Libri 1. Reg. c. 22.*

*Argumentum est reprehensio Doeg Idumæi, qui calumniatus est Davidem, & Achimelech Sacerdotem apud Regem Saul, & causa fuit perditionis multorum hominum.*

¶ 1. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate ?*

*Orditur ab interrogatione, ut efficacior sit reprehensio, ut M. Tullius in Catilinam : Quousque tandem abutere &c. Cùm Saul audivisset à Doeg Idumæo, Davidem fuisse receptum hospitiis ab Achimelech Sacerdote, excandescens, jussit occidi ab ipso Doeg Sacerdotem illum, & 85. alios Sacerdotes, qui erant cum eo : item ejusdem civitatis viros, ac mulieres, parvulos, & lactentes, oves, boves, & asinos. Atque in eo Doeg iste gloriabatur : & cùm tanta mala nata sunt ex calumniatore isto, verè dictus est potens in iniquitate.*

¶ 2. *Tota die injustitiam cogitavit lingua*

A 2

tua,



*tua* ; sicut *novacula acuta fecisti dolorem*  
 Exaggerat mirè calumniosam delationem  
 istius Doeg : hanc ait non fuisse repentinam,  
 sed diu meditatam : *totâ die* , assiduè cogi-  
 tabas , quo modo injustè deferres. Dein ad-  
 dit deceptionem ab ipso celerrimè factam esse ,  
 ut *novacula acuta expeditissimè* , & teler-  
 rimè scindit. Celeritas doli in eo est , quòd  
 paucissimis verbis omnino Sauli persuasit ,  
 Achimelech Sacerdotem cum Davide conju-  
 râsse ; quæ fuit impostura gravissima. Nota :  
 licet *cogitatio* ad mentem pertineat , tamen  
 David poëticè hoc tribuit linguæ , quasi hæc  
 tam mala fuerit , ut etiam silens apud aures  
 hominum , ipsa tamen apud se cogitando lo-  
 queretur.

ψ. 3. *Dilexisti malitiam super benignita-  
 tem , iniquitatem magis , quam loqui aequi-  
 tatem.*

Declarat , ex quâ radice prodierit ista ca-  
 lumniosa delatio. Ista non prodiit ex ignoran-  
 tiâ , vel casu aliquo , sed ex malâ tuâ volun-  
 tate , qui delectaris potiùs nocere proximo ,  
 quàm illi benefacere , & quem mentiri poti-  
 ùs delectat , quàm loqui veritatem.

ψ. 4. *Dilexisti omnia verba præcipitatio-  
 nis , lingua dolosa.*

Explicat magis , quid dixerit *mendacium* ,  
 &



& iniquitatem. Mendacium ait verè perniciosum fuisse : dilexisti omnia verba , quibus pos- sent homines innocentes præcipitari in rui- nam , & perditionem.

vs. 5. *Propterea Deus destruet te in finem, evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium,*

Prædicat , non fore impunitum peccatum ipsius Doeg , sed pro temporali destructione Sacerdotum , cujus ipse causa fuit , retribu- endum ei exitium sempiternum. *Propterea &c.* Propter hoc tuum peccatum Deus te radici- tus destruet in hoc sæculo , & in futuro. De- in , quod dictum generatim , explicat : *Evel- let &c.* puniet te exilio , & orbitate , ita ut primùm amissas opes , & Patriam , deinde in exilio , & sinè liberis moriaris. Posteris vo- cat *radicem* , quia filii sunt similes radicibus , quia per eos Pater radicatur , & stabilitur in terrâ.

vs. 6. *Videbunt justi, & timebunt, & su- per eum ridebunt, & dicent : ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum.*

vs. 7. *Sed speravit in multitudine divitia- rum suarum, & prevaluit in vanitate suâ.*

Hanc impii delatoris pœnam considerabunt viri justi , & cordati , & horrebunt : irride- bunt illum , quòd stultissimè egerit, nolendo



sperare in Deo, qui potentissimus est, sed sperando in divitiis fragilibus, quæ facillimè amittuntur. Eundem irridebunt, quòd prævaluerit, h. e. prævalere studuerit, vel prævalere se posse crediderit insidiis, & mendaciis vanitate plenissimis.

¶. 8. *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei: speravi in misericordia Dei in æternum, & in sæculum sæculi.*

Concludit Psalmum, ostendens se omnino contrariam viam ingressurum. Ego non evellar, nec eradicabor, ut Doeg lignum aridum; sed radicabor magis, & magis, ut oliva speciosa, semper virens, & fructum adferens: & quia talis sum, speravi me adjutum iri à Deo in æternum, & in sæculum sæculi.

¶. 9. *Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti: & expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu Sanctorum tuorum.*

Gratias agit pro re futurâ, quasi præteritâ, quia futura apud Deum, & in cognitione Prophetarum certissima sunt. Laudabo te semper, quia fecisti judicium hoc, ut sperantem in divitiis suis confunderes, & destrueres; sperantem in te consolaberis, & ædificares; & semper deinceps sperabo in nomine tuo, quia nomen tuum dulce est Sanctis tuis, qui ejus dulcedinem gustaverunt.

PSAL-